





9  
IO. BERNHARDI

Griesens

Jct.

CONSILIARIUS SAXONICUS AVLICI ET CONSISTORIALIS  
ANTECESSORIS JUD. AVL. FACULT. JVRID. ET  
SCABIN. ASSESSORIS H. T. DECANI

ADLECTIONEM SOLENNEM

A

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VTRIVSQUE  
IVRIS CANDIDATO

JOHANNE THEOPHILO BONZIO

ULMA-SVEVO

D. X. CAL. NOVEMBR.

IN AUDITORIO JVRIDICO HABENDAM

PROGRAMMA

INVITATORIUM.

7719,8

8.

JENÆ

LITTERIS WERTHERIANIS.



COUSINII SAVONICI AVATICI ET CONSISTORIALES  
ANGLO-SORBIÆ ALFREDI LARDI ET  
SCVMI VASSORI H. T. DEGEN  
ADIECTIONEM SOLENTEM



Otis causas esse privilegiatas ex lege 1.  
ubi DD ff. solut. matrim. discimus, qui p-  
pe qua æqviparantur causis piis L 32.  
ff. de condic. indeb. etiam fisco privile-  
giis gaudere dicuntur l. 9. C. de jur.  
dot. & cum fisco pari passu ambulare  
l. 4. Cod. in quib. caus. pign. Contrah. Imo-  
dotis causa aliquando fisco est potior l. doris ius 9. Cod.  
de jur. dot. magisque privilegiata arg. l. un. Cod. de rei uxor act.  
& in ambiguis non pro fisco sed pro dote responderi de-  
bet l. 2. Cod. de jur. fisc. quin etiam favore dotum quam  
plurima contra Juris communis regulas permissa & con-  
firata esse constat ex l. un. Cod. de rei uxor. act. Quid? quod  
hoc ipsum quoque leg. in reb. dotalibus 30. Cod. de Jur. dot.  
probetur. Mulier enim ipsa, dotem quæ dederat, aut  
solam rei uxoris actionem pro repetenda dote, aut, si  
stipu-

Stipulata esset, insuper actiones ex stipulatu, habebat. Et  
hac quidem actio communi jure stricti juris, illa bona  
fidei optimo jure, erat: quippe cuius formula verba  
quod aquius melius inseri solebant, uti appareat ex lego scum  
82. in fin. ff. de solut. leg. in his rebus 66. §. ult. ff. solut. marim. dos  
quemad. pet. quamvis postmodum constitutum esset, ut  
actio ex stipulatu bona fidei actionis jure uteretur l. un.  
im pr. & §. 2. Cod. de rei uxor. ab. nulla tamen mulieri actio  
in rem competebat dotis repetenda causa. Ratio erat,  
quia rei vindicatio non datum nisi domino l. 23. ff. de rei  
vindic. sed dominus erat maritus, non vero uxor l. 13. §. 2.  
ff. de fund. dot. ideoque marito dabatur rei vindicatio ad  
res dotalis, neutquam vero mulieri, constante matrimo-  
nio l. 9. Cod. de rei vind. Sed Justinianus Imperator præter  
actionem in personam vult mulieri & rei vindicationem  
dari, adjuncta ratione, quia mulier saltim jure naturali  
maneat domina dotis: licet subtili & civili jure ejus do-  
minium in maritum sit translatum. Sane posse duos ejus.  
dem rei esse dominos sub diverso respectu evidens est ex  
§. cum in suo 30. Inst. de rer. div. ubi is, qui ex aliena ma-  
teria ædificavit in suo solo, sit dominus ædificii; & tamen  
is, qui materia dominus fuit, non deinde ejus esse domi-  
nus, quamvis eam vindicare non possit, manente ædificio:  
pariter, quatenus fundus, in dotem datus, sine qualita-  
te dotali consideratur, dominium ejus est & manet pe-  
nes uxorem; quatenus vero accedit illa qualitas dotalis,  
dominium ejus est penes maritum. Quare frustra dici-  
tur, quod soluto matrimonio dotis dominium recta via  
ad uxorem redeat, cum dominium à muliere nunquam  
discesserit, sed permaneat penes illam. Sed potius do-  
minium, quod maritus dotis datione nactus est, soluto  
matrimonio extinguitur. Nec magis recte dicitur, quod,

licet dominium dotis transeat in maritum ratione actionem & fructum, naturale tamen dominium maneat patres uxorem, quia diversa sunt dominium fundi dotalis mariti & uxoris, prout res dotalis diversimode consideratur. Hoc inde manifestum est, quod, mariti dominio extinto, uxoris subsistat, ut ut per superveniens mariti dominium, actus secundus dominii uxoris, constante matrimonio impediatur & demum conjugio dissoluto se iterum exserat; non obstante, quod adhuc extante matrimonio suos habeat effectus, quos recenset *Barbosa ad legem dotaliem* 62. ff. fol. matrim. ubi etiam pluribus rationibus mariti dominium rei dotalis asserit. Neque hoc satis causæ est, ut urgeatur, quod soluto matrimonio dominium uxoris reviviscat, cum nunquam sit extinctum; quemadmodum & materia dominium, diruto ædificio, domino materia non reviviscit, quin potius durat, extinto licet ædificio, cum eo casu ædificantis dominium saltim moritur & extinguitur. Pari modo nihil habet in recessu, cum dicitur, Marito competere dominium revocabile; uxori vero naturale, dominium enim non tam revocatur quam extinguitur: quamobrem ex his ipsis etiam Imperator infert, quod creditores, habentes hypothecam priorem generalem, præferri in dotalibus bonis nequeant. Præterea Imperator dotis & mulierum privilegium auxit in hac lege, cum sancivit, mulieri, dotem petenti, nullam præscriptionem temporalem nocere debere, seu eam non currere adversus actiones mulieris, nisi ex eo tempore, quo mulier actiones movere potuerit: cuius sententia ratio inde est perspicua, quia præscriptio temporis generaliter non currere solet nisi ex eo tempore, quo actio moveri potest *I. i. §. 2. Cod. de ann. except.* Cum vero ulterius actio à muliere moveri non possit,

fit, nisi dissoluto matrimonio, excepto casu inopiae matriti, Jureconsulti, ne regulam infirmarent, fingebarant eo casu solutum matrimonium: quod factum divorcium hac lege, in favorem mulierum ab Imperatore sublatum est. Vberiorem hujus Legis expositionem publice proponet Clarissimus Jurium Candidatus.

## IOHANNES THEOPHILVS BONZIVS

Huic in nobili sveorum Ulma d. IIX. Martii anni  
1500 xcviij. hanc lucem aspicere contigit. Patrem fortunatus est Virum Prænobilissimum, Consultissimum & Excellentissimum IOHANNEM BONZIVM Illuстр. Reipubl. Vlmensis Consiliarium meritissimum & quondam ad Augustissimam Cæsaris Aulam Imperii Comitia Ratisbonensia per annos plurimos Ablegatum gravissimum; Matrem Nobilissimam, Crescentiam ex antiquo splendidoque Schelatorum stemmate, præmaturo fato erexitam. Optimis his Parentibus nihil àque curz fuit cordique quam ut filium suum, quem egregia indole præditum esse, mature sentiebant, veræ pietatis, virtutis & doctriñæ rudimentis imbuenterent. Itaque è sinu suo dimissum, simulac per teneram id fieri licuit ætatem, Præceptoribus Gymnasi patrui ad præclara quævis formandum commendarunt, qui etiam nihil in se desiderari passi sunt, quo spem Nobilissimorum Parentum de filio conceptam explorarent, solida eidem vera religionis & bonarum artium fundamenta ita propinantes, ut Præceptorum labori felices discipuli in literis progressus ex aße responderent.

X 3

Enim

Enimvero Illustribus Patriæ Proceribus cum plæctuit, iau-  
datum Parentem Ratisbonam ad augusta Imperii Comitia  
ablegare, is Filium una cum fratre natu minore, in sala-  
na nostra studio Juris itidem jam vacante, secum isthuc  
transferre statuit. Quo factō Nobilissimus Candidatus  
una cum loco scholam quidem non tamen animum in  
literis propensissimum mutavit. Ergo Ratisbonæ in album  
Poetici, quod vocant, Gymnasi transcriptus, id pensi  
habuit, ut in dies majorem ingenii cultum capeferet,  
operam ipsi suam strenuè navantibus Viris Præstantissimis  
M. MAJERO, laudati Gymnasi Professore, annis pariter  
& meritis in rem literariam venerabili & M. ZIPELIO Re-  
ctore ejusdem Lycei dignissimo, quorum dexteritas &  
fides grata mente per dies vitæ deposita manebunt. Post-  
hac in patrium Gymnasium à Parente remissus, in con-  
sortio eorum, qui ritu Depositionis in vicina Tubinga  
defuncti, lectiones Philosophicas audire solent, iis maxi-  
me studiis se præparavit, quibus in addiscenda Jurispru-  
dentiali sibi quam maxime proficia fore sagaci mente per-  
spexit, Philosophia scilicet Rationali & Morali cum Historia  
& eleganteris dictiōnis præceptis, usus opera Professorum  
Gymnasi partim pie defunctorum, partim adhuc super-  
flitum. His ne quid solidiorum Progymnasmatum desit,  
adjectit doctrinam Juris Naturæ ab Excellentissimo D.  
IOAN. IACOBO MILLERO memorata Reipubli-  
cæ Vlm. Confiliario meritissimo ad ductum libelli Puffen-  
dorffiani de officio hominis & Civis privata Institutione  
accurate enucleatam. Ergo ad studia academica inoffen-  
so pede aggredienda sic satis præparatus Ratisbonam  
repetiit, paterna ibidem iussa, quo iter animumque con-  
verteret, excepturus. Heic vero uti primo quondam,  
ita altero nunc ad ipsam Comitiorum Imperii sedem ex-  
cur-

cursu, literis institit suis, in primis autem ad prælibanda  
Juris Romani placita animum applicuit, totus ab ore  
pendens Consultissimi Viri IOH. LUDOVICI MYLIS,  
quem Institutiones Juris Justinianas interpretantem at-  
tente, nec sine fructu auscultavit. Interea temporis et-  
iam id felicitatis Nostro contigit, ut ductu atque auspi-  
cio Venerandi Parentis iis quoque rebus paulatim imbuī  
ceperit, qua homini politico, in praxi usui quam maxi-  
mo esse poterunt; qua occasione etiam atque hoc atque  
Illuc missus, multis Perillustribus ad Inclytum Imperii  
conventum Legatis innotuit. Eorumque multiplicem  
gratiā singulari, qua pollet, oris & orationis com-  
mendatione jam meruit. Postis igitur fundamentis,  
ad altiora se se applicans Academiam nostram jussu  
Parentis c. 10cc xvi. adiit & fasces tunc tenente Aca-  
demicos Viro summe Reverendo FOERTSCHIO  
in numerum studiosorum receptus est. Ex quo dili-  
gentissimam Juridico præsentim studio impendit operam,  
ducem naētus Nobilissimum & Consultissimum FRIDE-  
RICVM GOTTLIBIVM STRVVIVM I. V. D. &  
Curia provinciali Advocatum, cuius non solum convi-  
etu & hospitio usus est, sed quoque in privatis ejusdem  
acrostibus: Institutionibus Justinianeis, B. A. STRVII  
Jurisprudentia Rom. Imper. Germ. For. Pandectis ad  
LAVTERBACHII ductum, STRYCKII Examin. lu-  
ris Feud. DESSELII Erotematibus Juris Canonici cultorem  
&asseclam sedulum per biennium egit; posthabitis nunquā  
publicis Professorum excellentissimorum & celeberrimorum  
Lectionibus, BRVCKNERI & SCHROETERI, quorum ille  
Jus Naturæ ad filium H. GROTHI, hic Institutiones Justinia-  
neas explicavit. Præterhac Viri Excellentissimi BVRCARDI  
GOTT.

4194

GOTTHELFFII STRVII scholas visitando, in historia & Jure publico egregie profecit. Cum autem genuinum Literarum Cultorem minimum omnium fugiat, quod sci-  
re suum nihil sit nisi sciat alter, idem quoque noster Can-  
didatus sibi dictum esse putavit & in publicis privatisque exercitationibus Opponentis, quem vocant, partes non sine laude sustinuit. Hac ergo ratione in castris Themidos triennium integrum desudans de præmiis industriae Collegio nostro supplex factus est. Nos ergo petitioni ipsius annuentes post consveta examina eum cognovimus, qui ad cursoriam, quam vocant suo merito admitti possit, Legem, *susp. cit. 30.* interpretaturus. Cui solennitati ut Magnificus Pro-Rector, Illustrissimus Comes de Solms, Aulæ & Academiæ Proceres, omnium Ordinum Doctores, Ecclesiæ nostræ venerandi Antistites, studioſa item Juventus & quicunque divinæ Themidi favent, ut interfint, qua decet, obſervantia & humanitate nomine Collegii nostri oro, hanc promitudinem omni loco & tempore com-  
penſaturus. P. P. XI. Cal. Novembr.

MDCCXIX,



Nur für den Lesesaal!



Sb





# IO. BERNHARDI

*Riesens*

J.Ct.

CONSILIARIUS SAXONICUS AVLICI ET CONSISTORIALIS  
ANTECESSORIS JVD. AVL. FACULT. JVRID. ET  
SCABIN. ASSESSORIS H. T. DECANI

## ADLECTIONEM SOLENNEM

A

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VTRIVSQUE  
IVRIS CANDIDATO

JOHANNE THEOPHILO BONZIO

ULMA-SVEVO

D. X. CAL. NOVEMBR.

IN AUDITORIO JVRIDICO HABENDAM

PROGRAMMA

INVITATORIUM.

JENÆ  
LITTERIS WERTHERIANIS,

7719,8  
8.

